



# **Disputatio medica inauguralis de fundamentali plantarum notitia rite acquirenda**

<https://hdl.handle.net/1874/343272>


27.

DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
FUNDAMENTALI PLAN-  
TARUM NOTITIA  
RITE ACQUIRENDA.

QUAM,  
AUSPICE DEO OPT. MAX.  
*Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*  
JOANNIS GEORGII GRAEVII,  
Politices, Eloquentiae & Historiarum Professo-  
ris Ordinarii.

NEC NON  
*Amplissimi Senatus Academici Consensu, Nobilissimaque*  
*Facultatis* MEDICÆ Decreto  
PRO GRADU DOCTORATUS,  
Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis  
rite & legitime consequendis,  
*Publico examini subijci.*

OLAVUS RUDBECK, UPSAL. SUEC.  
Sæ. Ræ. Mtis & Helmfeld. Alumn.  
*Ad Diem 29. Aug. horis locoque solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,  
Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi, clō Ioc xc.

VIRIS

*Nobilissimis, Amplissimis, atque Clarissimis,*

D. GUSTAVO LOHRMAN,  
Medic. Doctori Experientissimo,

ATQUE

Incltyti Regis Sueciæ Archiatro fidelissimo,  
Avunculo suo honoratissimo,  
Patrono summo.

D. OLAVO RUDBECK,  
Med. & Botan. in Celebri Upsalensium  
Academia, Professore honorario.  
Patri charissimo, amantissimo.

D. ANDREÆ GIOEDING,  
Logices ibidem & Metaphysices  
Professori Ordinario,

Affini suo dilectissimo

*Hæc Theſe Inaugurales  
ſacras eſſe voluit*

OLAVUS RUDBECK, OL. FIL.

Ex Officina FRANKISCI HALMÆ, Academicæ  
Typographi, ch. l. ac. xc.



DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS  
DE  
FUNDAMENTALI PLANTARUM  
NOTITIA RITE ACQUIRENDA.

§. I.



Tudium Botanices priscis temporibus prout edo-  
ctum est, difficillimum fuisse & maximè arduum,  
nemo facile inficias ibit, nisi vel antiquitatis ma-  
jor justo patronus, vel nobilis hujus scientiæ igna-  
rus admodum fuerit. Præterquam enim quod  
multos totam suam vitam, sine singulari tamen  
progressu, in hoc studii genus olim impendisse,  
passim deprehendamus: nonnullos etiam hoc tem-  
pore, hocquè die, tam amplum idem & laborio-  
sum pronunciare intelligimus, ut à prima infantia hoc incipere necesse  
habeant, qui vel mediocrem hinc laudem reportare cupiunt.

§. II.

Nos autem, labore & industria recentiorum, longè aliter edocti, in  
contrarium asserere haud dubitamus: scilicet possibile esse, intra trien-  
nium, aut ad summum quadriennium, tantam in Re herbaria acquirere  
notitiam, *vera modo & legitima observetur methodus*; ut qui parum di-  
ligens est, non tantum plurimas, huc usque notas, & Europæis fami-  
liares plantas dignoscere, sed de aliis etiam exoticis, atquè ad nos adhuc  
transvehendis, judicium satis aptum ferre queat.

§. III.

Qua via, quave conditione hoc competenter fiat, in paragrapho præ-  
cedenti hisce verbis breviter innuimus: *vera modo & legitima observetur  
methodus*. Omnis enim scientia, quæ certis non nititur fundamentis,  
nec concinna methodo gaudet, non tantum difficillimè acquiritur; sed

## DISPUTATIO MEDICA

etiam semel aliquatenus acquisita, sensim perit, & memoria excidit. Quod nihilominus, certa & legitima observatâ methodo, tam facilè vix fiet, cum hæc memoriæ mater sit: adeoque si ulla in scientia, sanè in Botanica perquam necessaria. Ubi non tantum sex millia plantarum, notante olim Casp. Bauhino, sed octo potius vel decem hac tempestate numerantur. Imò sunt, qui jactitant, sit fides penes Authores, viginti millia differentium specierum siccarum seu aridarum suos herbarios continere.

### §. IV.

Quidquid sit, magnus earum numerus est, augendus in dies, plantis non tantum Europæis, sed Asiaticis quoque, Africanis, Americanis, aliisque ex locis valde distitis, ita ut impossibile fere sit, omnes memoria ritè tenere, nisi alia has addiscendi via ineatur, quam qua veteres instituisse observamus. Qui nullum fermè ordinem, nullam methodum vel in plantis disponendis, vel addiscendis observantes, non nisi chaos confusum posteritati reliquerunt. Ubi præter mutilas sæpius & obscuras plantarum definitiones, ab oculatissimis etiam Botanicis vix perspiciendas; non rarum, unam eandemque plantam, uno ab Authore, sub diversis tamen nominibus, diversisque in locis descriptam videre. Error sanè tam insignis quam multis familiaris! Quem unicè ortum putamus, vel *i. ex insufficiente atque manca hujus vel illius plantæ descriptione*, aliis deinde occasionem præbente dubitandi, an hæc vel alia planta sit, quam descriptam viderunt; descriptione pluribus conveniente: Sicque tandem ex dubitatione in errorem deceditur. *Vel secundo, ex variatione principiorum* seu fundamentorum, quibus hos vel illos Botanophylos initiatos credimus. Unde alii ex seminibus, alii ex floribus, alii ex foliis & caulibus, alii tandem ex radicibus, colore, odore, sapore, tempore florendi &c. plantarum denominationes petentes, simili errori causæ existiterunt: reticendo imprimis cum novis suis nominibus eorum nomina, qui aliter eas primùm nominarunt.

### §. V.

Sed quid mirum veteribus hoc contigisse, quod evitare recentiores vix potuerunt. Nam & bina ista lumina, binos fratres, ut alios taceam, Bauhinos, tam in plantis nominandis, quam disponendis, maximè dissentientes quis non animadvertat? Quanto enim Casparus fratre Johanne, in cognitione & notitia plantarum generali peritior, tanto etiam Johannes Casparo, in rite iis disponendis, certa que ad genera reducendis felicior erat.

### §. VI. Sed



## §. VI.

Sed nec horum diffidiis acquiescere hodiernis Botanicis satis erat, novas inter sese quotidie, nunquam credo finiendas lites, eadem de re moventibus. Unde tandem factum, quod una planta primum suum nomen, à veteribus ipsi impositum, sexties ad minimum vel septies, ne dicam decies, in hunc usque diem mutarit. Quam enim e. g. Casparus Bauhinus in pinac. p. 349. *Securidacam siliquis planis utrinque dentatis*, vocavit; hanc eandem Johann. Bauhinus *Lunariam radiatam Robini*, licet minus rectè, nominavit. tom. 2. l. 17. p. 348. Quorum neutrum tamen retinere, Morizonio, sane nec sine ratione, placuit. Ideoque etiam alio statim nomine eam appellare non dubitavit: Scilicet *Astragalus purpureus annuus peregrinus, siliquis utrinque serris similibus*. Hist. 2. p. 107. Cujus generis plura videre est in hallucinationibus Bauhianis: Quibus neque ipsum Morizonium exemptum fuisse passim patet. Quam enim Casp. Bauhinus *Alfine affinem*, & Joh. Bauh. *Androsace Mathioli*, Morizonius male quoque *Sanicula affinem* nominavit. Unde etiam à Clarissimo Hermanno Botanicorum facilè principe, præceptore meo fidelissimo, summa animi reverentia æternum colendo, modestè corrigitur, mutato nomine *Sanicula affinis*, in *Auricula Ursi affinis* vid. Hort. Acad. Lugd. pag. 22.

## §. VII.

Tandem tertio ex libertate nimia hunc eundem errorem irrepsisse suspicamur, quam unusquisque in plantis proprio idiomate nominandis, sibi sumpserat, neglectis nominibus verè Latinis vel Græcis, aliisque antea ipsis datis. Quarto, denique ex ignorantia nonnullorum, botanica tamen ex professo tractantium: qui dum rariores vel insolitæ occurrunt plantæ, nomina ipsis vel minus convenientia, vel aliis, ab his toto cælo differentibus, communia imponunt, magis sæpè ut discipulis suis pro tempore alludant, sicque famæ parumper consulant, quam veritati satisfaciant. Hinc omnes istæ synonymiæ & innumeræ homonomiæ vegetabilium in regno disseminatæ sunt. Quæ recentioribus dein tantam molestiam creant, ut Casp. Bauhinus, quadraginta annos in iis detegendis, plantisque ad eum ordinem, quem in Pinace observamus, redigendis, laborarit. Et hujus ante tempora quid quæso peculiare in re herbaria factum? Ast ultra posse nemo obligatur, fecerunt & ejus antecessores quidquid potuerunt; unde ingentes quoque libri Dioscoridis, Theophrasti, Mathioli, Dodonei, Tabernamontani &c. Etenim vitio ipsis minimè verti debet,



## DISPUTATIO MEDICA

bet, quod in omnibus tam oculati non fuerint, ac hodierni: cum unumquodque seculum suas patiatur Ecclipses.

### §. VII.

In similes itaque cum illis ne nos incidamus errores, certam nobis ac veram eligere debemus methodum, quam deinde tam in plantis addiscendis, quam disponendis sequi, necesse ducimus. Erit hæc *primò clara & distincta*, terminos omnes obscuros, atque Botanicis minus approbatos excludens. Quare ex recensitoribus malè faciunt, qui antiquis, multa secula usitatis, absque ratione rejectis, novos nec autoritate probatos, nec rei ipsi magis competentes substituunt. Ita novissime etiam cuidam Doctori Medico, viro aliàs doctissimo & Botanophylo insigni, pro flos uniformis & difformis, placuit magis *regularis & irregularis*: item pro flos labiatus, *barbatus*, pro racemosus, *conglomeratus*. Nomina sanè ne gry quidem antiquioribus clariora! si non obscuriora potius, & rebus ipsis minus accommodata. Neminem enim Botanicorum latere credo, quid sit flos uniformis & difformis: satis namque hi termini apud Botánicos antea noti & expositi sunt; cum tamen regulares & irregulares, & de regularibus ac irregularibus compositi flores, novitatem merè sapiant, adeoque nova explicatione egentes, entia præter necessitatem multiplicent.

### §. IX.

Sic nemo est qui nescit, quid flos labiatus sit; at barbatus quid sibi velit, plures non comprehendunt: vel quia barba sine labio, cui natura eam affigit, numquam concipi potest, nisi abstractè, quod in floribus non valet: vel quia difficilior longe est, barbam integram quam labium divisum sibi repræsentare. h. e. talis barba, quæ ex pluribus filamentis vel crinibus inter se non distinctis constet, cum hujus generis barba in rerum natura vix detur, at labia divisâ plurima. Commodius item dicitur, flos utrinque labiatus, dum de tali flore sermo est, qui habet labium superius & inferius, quam flos labiatus & barbatus simul: Barbati enim vocabulum valdè suspectum est & obscurum, cum certò aliud quoddam corpus supponat, cui barba vel crines adhæreant, quod tamen præter labium ipsum, in floribus frustra quaeritur.

### §. X.

Dum etiam pro flore racemoso idem uti satagit termino *conglomerati*; Anatomicum magis quam Botanicum agere videtur; cum inter glandulas conglomeratas hic illic in corpore animali diffeminatas, & florum racemos



mōs, semper sibi uniformes, nihil intercedat commercii. Præterquam enim quod paucissimi, exceptis Anatomicis, norunt, quid glandulæ conglomeratæ sint, nunquam quoque hæ certam aliquam figuram obtinent, sed hinc illinc dispersæ jacent; cum tamen flores racemosi, semper figuram cujusdam racemi, h. e. rotundam pyramidalem quasi componant. Sed ad rem.

## §. X I.

*Brevis item & succincta* erit methodus, ne multitudine divisionum & subdivisionum, item longitudine denominationum memoriam tyronum obruat. Unde etiam hoc in puncto minus nobis arridet Clariss. Morizonius, qui plantas denominando integras earum descriptiones, in libris potius inspiciendas, quam memoriter recensendas tradit. Quæ enim e. g. Morizonio Hist. 2. p. 162. *Melilotus minima recta lutea, siliquis crassis curtis in capitulum congestis, semine fenugraci* dicitur, nonne hæc eadem optime, & tamen brevissime nominari posset, *Melilotus semine fenugraci*: cum alius *Melilotus*, præter hunc unicum tali vix reperiatur semine. Pari credo ratione, *Medica* Morizonio Hist. 2. p. 154. *cochleata polycarpus, capsula spinosa minore, perennis incana maritima* dicta. commodiori nomine appellari posset, & nihilominus sufficienter à cæteris distingui: *Medica cochleata tomentosa*: ob tomentum, quo reliquæ Medicæ species destituuntur. Et sic cum innumeris aliis, ob breviteratam cui unice jam studemus, hic omittendis.

## §. X I I.

*Facilis* tandem erit, ne sui difficultate vel docentes lassent, vel discipulos absterreat. Quod sanè sit, dum plura ad rem propriè botanicam, seu notitiam plantarum strictè sic dictam, non pertinentia, ipsi immiscentur, quæque Horticulturæ potius ac Pharmacis amatoribus relinquere præstaret. Quomodo scilicet unaquæque planta tractari debet, quem nobis usum mechanicum præbeat, quamque terram velit, quem solum, quando effodi amat, quando transplantari, quando purgari, vel refectari, quas compositiones Galenicis ingrediatur, an melius in conserva, pulvere, decocto, Syrupo, aqua &c. detur: Aliaque multa Pharmacopolis & Hortulanis committenda. Quæ quidem omnia scire nemo detrectet, qui valeat, cæteris ad hanc scientiam propriè spectantibus, minimè tamen omittendis.

## §. X I I I.

*Firma* denique & *immutabilis* placet, quæ nihil nisi certitudinem ipsam admit-



admittit; adeoque ex talibus principiis petenda, quæ ipsamet constantissima ac immutabilia manent: Quæ qualia sint, statim videbimus.

## §. XI V.

Ultimo etiam ut *universalis sit* hæc methodus nostra, necessario requiritur: Ad cunctas namque & singulas plantas, nullis exclusis, sese indifferenter extendere debet, alias imperfecta est, & manet. Hinc immortales gratias Andreae Cæsalpino Aretino debemus; quia omnium primus, quantum quidem innotescit, novam methodum meditatus, plantas à *fructificatione* earum, in certas classes, certa que genera redigere laboravit, lucique publicæ libros de plantis sedecim Florent. impressos Anno 1583. dedit. Ex quo deinde sua sine dubio principia Robertus Morison, Anglus, mutuatus (quamquam neminem ante se tale quid cogitasse prætendat) varia, ad plantarum naturam ritè investigandam, & notitiam earum fundamentalem augendam, confirmandam, literato orbi reliquit. Nullus quoque dubito, quin magnus iste vir plura præstitisset, nisi mors præmatura, viventibus semper invida, hoc ipsi prohibuisset. Superfunt enim variæ plantarum sectiones huc usque non editæ, quas, ut Oxoniæ audiui, vir industrius, & rei herbariæ non imperitus, Dominus Bobartus, ejusdem horti præses, elaborandas sub manu sibi sumserat: sicque brevi, ut opinor, quæ restant, videbimus.

## §. X V.

Horum itaque vestigia & nos præcipuè prementes, differentias omnes plantarum genericas, à locis earum natalibus petitas, tamquam fallaces maxime & inconstantes rejicimus: His namque admissis, plurimæ plantæ inter se alias differentes, ad unum genus reducerentur; convenientes verò & semine & flore sæpius distinguerentur. Multæ enim sunt, quæ locorum differentias non ita benè agnoscentes, ubique ferè florent & lætè vigent. Quod quoque de illis diversitatibus dictum volumus, quæ ipsis prout usui humano variè inserviunt, sive ad alterationem, sive ad nutritionem, sive ad delectationem, sive ad alia quæcunque desideranda imponuntur: cum nihil certi exinde concludi valeat, ipsissima mortalium natura nunquam non variante.

## §. X V I.

Pariter & ea discrimina minus nobis arrident, quæ à tempore durationis, modo crescendi, florendi, statura, colore, odore, sapore, aliisque id genus accidentibus desumuntur, cum hæc æque ac illa incerta sint, & conjungendas distinguant, distinguendas verum conjungant.

## §. XVII.



# I N A U G U R A L I S.

## §. X V I I.

Sed neque corcula seminalia, eorumve in crescendo variationes, plantarum genera satis distinguere nobis videntur: Nam & hæc non raro pro variatione loci atque culturæ variant, modumque crescendi cum pluribus aliis, & genere & natura diversis, communem habent.

## §. X V I I I.

Sola itaque fructificatione cum Cæsalpino, Dalecampio, Columna, Bernhardo Mullero, Morizonio, Hermanno &c. solum istud fundamentum nobis restat, ex quo differentiæ certæ & genuinæ, nec non denominationes genericæ, unicè desumi debent; ita ut hoc fundamento spreto, vel non satis firmiter jacto, nihil certi in notitia botanica sciamus, quidquid etiam contradicant alii, ad hoc fundamentum respicere minus assueti.

## §. X I X.

Per fructificationem autem nos, sola semina, prout in capsulis, thecis vel conceptaculis suis inclusa jacent, intelligere, nemo sibi persuadeat; sed totum potius *fructificandi modum*, h. e. tam seminum seu fructuum, quam ipsorum conceptaculorum, perianthiorum, nec non florum tandem dispositionem, figuram, habitum, numerum atque structuram. Ita e. g. ad notam genericam Ranunculi tradendam, non sufficit semina plurima nuda nominasse: Talia enim habent Chelidonia, Hepatica, Pentaphyllum, Filipendula, Ulmaria &c. Sed addi etiam debet, in capitulum congesta, & quidem acerosum; flos pentapetalus, calix quinquephyllus caducus. Sic capitulo aceroso expresse distinguitur à Chelidonia, Hepatica, &c. quæ sua quidem semina similiter in capitulum habent congesta, attamen non acerosum. Deinde quoque florepentapetalo à Chelidonia, Hepatica &c. florem polypetalum habentibus, satis differt, sed non eadem notâ à pentaphyllo; nam & hujus flos pentapetalus. Adeoque bene etiam additur calix, qui in Ranunculi generibus, calicibus donatis, quinquephyllus, in Quinquesoliis verò decaphyllus & à flore superstes, sufficienter has duas ab invicem distinguit: & sic porro in aliis, tam nudis quam capsulatis. Notandum tamen breviter, in capsulatis, ipsas capsulas magis ac conceptacula, eorumque loculamenta, quam semina ipsis inclusa, respici.

## §. X X.

Seminibus tandem cum suis conceptaculis, ut partibus constantissimis, flores tamquam minus constantes minusque principales adjungimus. Dico



minus principales, non quod hos ad totius constitutionem atque perfectionem minus necessarios putem, secundum mentem veterum, qui corpus nostrum in partes magis vel minus principales distinxerunt: Ad totum namque componendum una pars æquè principalis ac altera est. Sed quod ex his solis, tam certæ & infallibiles notæ characteristicæ, ac ex seminibus eorumque conceptaculis erui nequeant. Etenim licet in pluribus tam necessariam horum acuratam inspectionem arbitremur, ut ea carere vix ullus possit, e. g. in leguminosis, apetalis, staminosis, muscosis &c. ubi flores primariò respiciendi, ita ut ex his, in his plantis, posthabitis quasi seminibus, notæ principales atque genericæ petantur. Cum iis tamen ut faciamus, vix induci possumus, qui flores seminibus semper & ubique præponunt, eosque his magis aptos, ad distinctionem genericam faciendam, judicant. Idque eam præcipuè ob causam, quod & ordine naturæ prius appareant, & seminibus quoque conspectiores sint. Quam sententiam præter Rayum, Clarissimus Rivinus, Doctor Medicus Lipsiensis inprimis fovere videtur, licet modo planè singulari atque novo, à florum *regularitate & irregularitate* unice petito. Videatur Introductio ejus generalis in rem herbariam, Lipsiæ nuperrimè cum iconibus satis bene expressis, edita. Qua autem felicitate hoc tentarit, definire vix audemus: finis enim opus coronabit. Hoc tamen affirmare interim possumus, varia ibidem lectu digna occurrere.

## §. XXI.

Verum, præterquam quod flores, multis in plantis genere discrepantibus, tam similes sæpè deprehendantur, ut ne unguem quidem latum, unius flores ab alterius videantur recedere: unam quoque eandemque plantam, pro loci & culturæ varietate, ita suos flores variare comperimus, ut nemo non dicat, alios flores, aliamque plantam esse, ut in Tulipa Papegay Belgis dicta &c. Unde etiam falso illam distinctionem interdum ortam esse, autumamus, quæ plantas hortenses & Sylvaticas specie quasi diversas ab invicem distinguit, cum sæpè tamen eadem plantæ sint, & nihil nisi magnitudine seu extensione, atque colore differant. Quæ accidentium mutationes plantis quam familiarissimæ, faciunt, meo quidem iudicio, ut vegetabilium regnum in infinitum quasi extendatur. Nimis enim tædiosum esset omnes istas plantas recensere, quæ à seminibus satæ, facie externa saltem atque colore leviter mutatis, aliud nomen impetrarunt. Quid si ita luxuriant, ut ipsa etiam petala, vel florum laciniæ de tornatili sua figura, ut cum Jungio loquar, aberrare incipiant?

Quod



Quod sæpius fieri illi optimè norunt, qui quotidie flores inter versantur, horumque naturam valde lascivientem non tam inhibere, quam irritare student.

## §. XXII.

Quid vulgarius præterea, quam flores simplices in duplices, triplices, imò multiplices abire; flores item discoideos, discum suum deponere, vel in tantum potius augere, ut totus in petala luxuriet. Et quod magis est, non flores tantum huic variationi subjectos esse deprehendimus, sed ipsa etiam florum perianthia: quæ mutatis floribus, cum iis pariter vel mutantur, vel in petala abeunt, ut in Primula veris floribus geminis &c. satis patet. De foliis nihil dicam, hæc enim indies variant. Et talis sanè florum atquè foliorum mutatio multis, præcipuè tyronibus, non levem in plantis ritè dignoscendis molestiam crearet, si ex horum conformatione, eorumque uniformi vel difformi magis figura, notas verè characteristicas, & hinc nomina generica peterent. Ex omnibus namque plantarum partibus minimè mutari semina, flores magis, folia maxime, ipsa autopfia confirmat.

## §. XXIII.

Hinc igitur ita concludimus: Quoad ordinem quidem crescendi, flores prius quam semina inspicere posse; neutiquam verò quoad certitudinem distinctionis genericæ inde hauriendæ. Hujus etenim respectu semina, eorumque conceptacula inprimis examinanda; illius autem, aliæ quoque partes simul, ut flores, folia, radices &c. Sine quarum etiam examine & frequenti inspectione fundamentalis rei herbariæ notitia acquiri nequit. Qui namque plantas, non nisi semel vel bis in anno, inspicere cupit, vel eas penitus negligit, usque dum florent, vel fructus producunt, parum proficiet: lente enim nimis procedendo, quantum uno anno addiscit, tantum altero dediscet: cum neque tam diu in hoc puncto durent, ut earum inspectio ad satietatem in omnibus repeti queat: Neque simul & semel omnes florent, ut sic unius flores cum alterius conferri, & in quibus differunt, quibusve conveniunt accidentibus, benè discerni possit.

## §. XXIV.

Ideoque quatuor illa tempora Botanophylis in plantis inspiciendis, quæ Medicis in ægrotis visitandis, quam maximè commendata haberi velimus: Nimirum *principium* seu *ver*, dum primum germinare incipiunt, & corcula sua feminalia monstrant. Deinde *augmentum* seu *initium*



*æstatis*, dum grandescunt, florumque rudimenta, vel gemmas & perianthia ostendunt. Tandem *status* seu *medium æstatis*, dum flores suos expandunt, summoque in vigore stant. Et ultimò *decrementum*, sive *Autumnus*, dum scilicet semina & fructus suos maturant, & pallefcere quasi incipiunt. Uno verbo, omnibus diebus, omnique tempore, plantas inter versari, singulas partes diligenter examinare, invicem conferre, nihilque omittere, quod ad unam ab altera benè distinguendam pertineat, veri Botanophyli est. A principio namque veris, & ad finem usque Autumni, nullas non plantas videbimus florere. Et artis est, omnem plantam omni tempore posse dignoscere; Quod tamen sine improbo labore & summa diligentia vix acquiritur. Paucissimi enim sunt, qui de hac notitia, quæ, si dictis principiis innititur, verè fundamentalis meritò audit, sibi gratulari possunt. Sed nec omnibus Corinthum adire statim licet, ideoque tyronibus sufficiat, primis annis plantarum summa genera addiscere, & ad quas classes hæ vel illæ referri debent: Sic reliqua cum tempore quoque venient.

## §. XXV.

Hiscæ præmissis, plantas omnes atque cunctas, cum Clariss. Hermannò, in *duo summa genera* dividere, nobis consultissimum videtur, ita ut alterum genus *Plantas AngioSpermas* seu seminibus nudis includat; alterum *capsulatas*, seu semina in capsulis foventes comprehendat. Quibus cum Rayo, tertium summum genus, plantas scilicet *semine minutissimo*, ac nudo oculo vix conspicuo flore vel nullo, vel imperfecto addere quidem possemus. Et huic adhuc quartum: nimirum plantas in totum *imperfectas* h. e. semine & flore carentes. Verum quia nullam plantam in rerum natura dari, arbitramur, quæ non aptè ad unum ex istis primis generibus referri possit, binis istis posterioribus, tamquam non necessariis interim supersedemus. A nostra namque impotentia ad plantas non licet argumentari: cum plurimæ sint, quas nos quidem putamus & semine & flore carere, quæ tamen iis revera non carent. Quis quoque omnia ea, quæ in oculos non statim incurrunt negare auderet? Sanè nemo nisi suis nimium fidens luminibus.

## §. XXVI.

Hæc porro duo summa genera in alia subalterna varia distribuere, singulaque eo ordine, quem maxime competentem atque naturalem censemus, describere, operæ pretium facit. Sed mirum nemini sit, nos principia Clariss. Authoris in divisione generali sequentes, in speciali quoque eundem



eundem ordinem, quem Flora Lugduno-Batava nobis tradit, non ita observare. Ibi etenim dispositæ sunt plantæ secundum ordinem quem in horto Academico tenent, ita ut primo loco videantur Angiopolypermæ, non quod hæ primæ, ordine naturæ, esse deberent; sed quia flores suos primo vere ostendunt, adeoque vir iste Celeberrimus tum collegia sua incipiens, aliquas habeat, quas florentes demonstret, exponat.

## §. XXVII.

Primum itaque locum sibi vendicant plantæ ANGIOMONOSPERMÆ, non pappescentes seu seminibus nudis post singulos flores singulis, ut Valerianella, Limonium, Pimpinella, Dentillaria Rondelitii, Mirabilis peruviana, Fumaria, Circea. Et his affines seu potius MONOCARPÆ, fructu unico nucleos geminos includente. Agrimonia seu Eupatorium veterum. Prope has collocamus plantas CORYMBIFERAS seu seminibus solidis nudis, floribus ut plurimum discoideis radiatis. ut Flos solis, Chrysanthemum, Calendula, Tagetes, Bellis, Chamæmelum, Pyrethrum, Matricaria, Ptarmica, Millefolium, Abrotonum, Absinthium, Artemisia, Dracoherba, Tanacetum, Costus hortorum, Ageratum. Quibus adstare debent PLANTÆ SEMINIBUS SOLIDIS, floribus pluribus in capitulum congestis. Scabiosa, Dipsacus, Eryngium. Harum societatem amant plantæ SEMINIBUS SOLIDIS NON PAPPESCENTES LACTESCENTES, floribus compositis. Scolymus Chrysanthemus, Intybus, Cichorium & huic affinis Lampfana.

## §. XXVIII.

Hic sua præstantia sese insinuant PLANTÆ STELLATÆ, seminibus post singulos flores nudis binis: floribus monopetalis in quatuor ordinario segmenta dissectis; foliis ad singulos caulium nodos pluribus, stellatim decussatis. Rubia, Mollugo, Asperula, Aparine. Quas omnes ob summam inter se convenientiam, uno nomine generico Rubias appellare præstaret. His jure affinitatis adjungimus PLANTAS UMBELLATAS, seu seminibus nudis post singulos flores in Umbella formam congestos, binis. Fœniculum, Cuminum, Meum, Bulbocastanum, Daucus, Gingidium, Ligusticum, Siler, Angelica, Imperatoria, Astrantia, Smyrnum, Sisarum, Pimpinella Saxifraga, Sium, Sefeli, Cicutaria, Cicutula, Oenanthe, Chritimum, Ammi, Apium, Carvi, Anisum, Coriandrum, Perfoliata, Bupleurum, Thapsia, Laserpitium, Libanotis, Pastinaca, Caucahis, Ferula, Anethum, Peucedanum, Sphondilium, Tordilium, Thysselinum, Myrrhis, Chærophyllum, Scandix, Diapensia, &c.



## §. XXI X.

Jam Sponte sese nobis visendas offerunt, Plantæ ANGIOPOLYSPERMÆ, seu *seminibus nudis pluribus sequentibus singulos flores*. Chelidonia, Hepatica nobilis, Ranunculus, Adonis, Ranunculus nemorosus, Pentaphyllum, Pentaphylloides, Fragaria, Filipendula, Ulmaria, Thalictrum, Plantago aquatica, Sagitta aquatica, Malva, Alcea, Anemone, Clematis, Pulsatilla, Cariophyllata. Quarum quatuor illæ ultimæ semina, vel pappo inclusa, vel plumosa caudâ donata, habent. Post Angiopolypermas proximè recensere lubet Plantas ANGIOMONOSPERMAS PAPPESCENTES, *floribus pentapetaloidibus quasi in Umbellam congestis*, ut Valeriana ejusque species. Item plantas CAPITATAS PAPPESCENTES, *floribus fistulosis è Capitulis Squamatis, prodeuntibus*: Cujus generis sunt Carduus, Cnicus, Cirsium, Cinara, Jacea, Centaurium, Serratula, Cyanus, Lappa Major. Tandem obveniunt nobis Plantæ PAPPESCENTES non LACTESCENTES, *flore composito plerumque Discoideo radiato*. Helenium, Aster, Doronicum, Conyza, Jacobea, Senecio, Virga aurea, Eupatorium, Cacalia, Tussilago, Petasites, Elichrisum, Gnaphalium, Xeranthemum. Ultimæ denique in hac classe visuntur Plantæ PAPPESCENTES, & LACTESCENTES *flore composito natura semper ferè pleno*. Hæ enim hoc peculiare præ ceteris habent, quod pappescant & lactescant simul, ut Lactuca, Chondrilla, Sonchus, Hieracium, Dens Leonis, Schorzonera, Tragopogon.

## §. XX X.

Absoluto sic uno summo genere, Plantas angiospermas seu seminibus nudis continente, ad alterum progredimur, Plantas scilicet *Capsulatas* comprehendens, seu tales quæ semina sua in certis thecis vel conceptaculis à perianthio distinctis sovent. Quas inter primas tenent *Planta ASPERIFOLIÆ sic dictæ, seminibus post singulos flores naturâ quaternis, in utriculis apertis*. Borrago, Buglossum, Cynoglossum, Anchusa, Heliotropium, Symphitum, Echium, Cerinthe, Buglossum Echioides. Quibus ob affinitatem, proximè accensemus PLANTAS VERTICILLATAS, *seminibus more Asperifoliarum plerumque quaternis, in vasculis apertis, foliis conjugatis, seu ex adverso binis*. Suntque vel *floribus galeatis & labiatis*. Lavendula, Stæchas, Betonica, Polium, Thymus, Serpillum, Marum, Marrubium, Lamium, Clinopodium, Urtica, Salvia, Hyssopus, Satureja, Galeopsis, Horminum, Melissa, Brunella, Ocymum, Acinos, Sideritis, Chamæpitys, Hedera terrestris, Molucca, Dictamnus



nus inodorus, Nepeta, Calamintha, Rosmarinus, Origanum, Majorana, Dictamnus Creticus, Scutellaria. Vel *floribus galeatis, vix labiatis*, Cardiaca. Vel *labiatis non galeatis*, Teucrium, Chamædrys, Scordium, Bugula. Vel tandem *floribus* neque galeatis neque labiatis, sed *quadri-*  
*fidis aut quinquifidis*. Mentha, Pulegium, Marrubium Palustre, Verberna, Dracocæphalon Americ. Breyn.

## §. XXXI.

Præmissis itaque Asperifoliis atque Verticillatis, quaterna Semina in thecis suis ordinario foventibus, ad alias capsulatas certum in seminibus numerum vix observantes, nos conferimus: sunt autem sequentes. 1. PLANTÆ UNICAPSULARES, seu *que semina plura in una capsula à perianthio distincta* habent. Ut Primula veris, Auricula Urſi, Cortufa J. B. Alſine, Lychnis, Cariophyllus, Numularia, Anagallis, Portulaca, Hydrophyllon Morini, Trifoliata paludosa, Glaux. 2. PLANTÆ BICAPSULARES, Centaurium minus, Centaurium Afric. Sempervir. Lyſimachia Siliculosa (reliquæ enim Duæ Lyſimachiæ species, Corniculata scil. & Siliquosa, huc non pertinent) Sanicula, Blattaria, Verbascum, Gentiana, Digitalis, Gratiola, Branca Urſina, Hyoſchyamus, Nicotiana, Linaria, Anthirrinum, Scrophularia, Pedicularis, Melampyrum, Euphrasia, Polygala, Veronica. 3. PLANTÆ TRICAPSULARES, quarum duo genera, alterum seminibus pluribus, alterum non nisi ternis constat, undæ etiam hæ posteriores *trilocca* dicuntur; suntque vel *Lactescentes* ut Tithymalus: vel *non lactescentes*, ut Ricinus. *Seminibus verò pluribus* sunt, Hypericum, Cistus humilis, Gramen Parnassi, Pyrola, Viola Martia, Viola Indica, Afarum, Convolvulus, Campanula, Rapunculus, Refeda, Valeriana cœrulea ejusque variationes. 4. PLANTÆ QUADRICAPSULARES, rarius *quinque capsulares*, Ruta. Stramonium. 5. PLANTÆ QUINQUECAPSULARES, quæ iterum sunt vel *Pentacocca*, ut Geranium, vel *capsulis pentagonis in quinque partes dissilientibus*, Balsamina femina, Oxys, Capparis portulacæ folio. Vel denique *seminibus in vasculis pluribus*. Althæa, Cistus Ledon, Cistus Mas & femina. 6. PLANTÆ MULTICAPSULARES: Quo nomine cunctæ illæ veniunt, quæ plures quam quinque capsulas, seu loculamenta habent: ut Aristolochia, Papaver, Argemone, Nymphæa, Nigella, Linum.

## §. XXXII.



## §. XXXII.

Plantis Siliculosis ut Siliquosæ proximæ essent, jure cognationis quidem impetrarunt. Primam vero inter has partem, ut SILIQUOSIS UNICAPSULARIBUS UNIVALVIBUS concedamus, earum simplicitas facit. Sunt autem hæc vel *Seminibus absque lanugine*, ut Clematis Hederaea Indica Jasmini folio, Clematis Americ. Siliq. tetraphyll. Clematis Daphnoid. Vel *Seminibus cum lanugine*, Asclepias, Apocinum, Nerium. Harum Consortio delectantur PLANTÆ UNICAPSULARES BIVALVES, seu *capsula unica in binas valvas, nullo pariete intergerino, dissiliente*, donatæ. Chelidonium majus, Papaver corniculatum, Sinapistrum Indicum pentaphyllum & triphyllum Lusitanicum, Hypecoon, Epimedium, Fumaria. Dum nec prætereunda erunt SILIQUOSÆ UNICAPSULARES QUADRIVALVES, seu siliquis in quatuor partes disrumpentibus, semine vel *lanuginoso*. Lyfimachia Siliquosa. Vel *non lanuginoso*, Lyfimachia corniculata. His interferuntur PLANTÆ SILIQUOSÆ BICAPSULARES UNIVALVES, *Siliquis septo intermedio distinctis, floribus tetrapetalis*. Brassica, Rapum, Sinapi, Eruca, Erysimum, Nasturtium, Raphanus rusticanus & aquaticus, Leucojum, Dentaria, Draba Siliquosa, Hesperis, Viola lunaria, Thlaspi incan. Mechlinense. Bursa pastoris major & minor loculo oblongo. Quibus annectuntur PLANTÆ SILIQUOSÆ FUNGOSÆ, h. e. quæ semina sua in siliquis, fungosa materia factis, occultant, *flore tetrapetalo*. Raphanus rotundus & oblongus niger, Raphanistrum Siliquosum monospermum & dispersum. Succedunt MULTISILIQUE PLANTÆ, seu *vasculis pluribus simul junctis sequentibus unum florem*. Sedum, Cotyledon, Telephium, Pœonia, Helleborus, Fraxinella, Caltha palustris, Ranunculus Aconiti folio, Abutilon, Staphisagria, Aconitum, Aquilegia, Consolida regalis.

## §. XXXIII.

Missis Multifiliis, incidimus in plantarum Siliquosarum aliud genus, quod *leguminosum* dicitur, & duplex est: *Unum* constituunt PLANTÆ LEGUMINOSÆ *Siliquosa bivalves unicapsulares, flore papilionaceo*. Phaseolus, Pisum, Lathyrus, Vicia, Lens, Lupinus, Faba, Glycheriza, Galega, Orobus, Cicer, Securidaca, Fenugræcum, Lotus, Cytisus, Genista, Anonis, Crotalaria, Anthyllis, Colutea, Ornithopodium, Scorpioides, Onobrychis. *Alterum* leguminosarum genus componunt *planta siliquosa bicapsulares, sive siliqua gemella, flore papilionaceo*.



*uaceo.* Astragalus, Melilotus, Trifolium, Medica, Senna, Mimosa, Tribulus. Flos autem Papilionaceus est, qui ex quatuor petalis componitur, quorum primum latum atque erectum *vexillum* dicitur: Secundum deinde huic subjacens angustum & carinatum, *proboscidis* nomine venit. Tertium denique & quartum quia ab horum lateribus videntur alarum instar, *ala* audiunt. Hæc quatuor simul juncta florem Papilionaceum difformem constituunt. Antequam verò finem huic classi imponamus, non incongruum fore arbitramur, plantas ipsi subnectere. **SILICULOSÆ BICAPSULARES UNIVALVES**, cum Septo intermedio, *flore retrapetalo* dictas, ut sunt Thlaspi, Bursa Pastoris folio sinuato, Nasturtium, Iberis, Lepidium, Myagrum, Cochlearia, Leucojum, Brassica Montana, Rapistrum Monospermum, Isatis, Ambrosia. Quæ plantæ, licet propriè huc non spectent; Siliculosæ enim, non Siliquosæ sunt; Attamen quia cum antea recensitis, ejusdem ferè nominis tricapsularibus, neque notis essentialibus, neque principiis activis conveniunt, ad calcem Siliquosarum eas potius adjungere, vel etiam tricapsularibus bulbosis præmittere, quam cum reliquis perperam confundere maluimus.

§. XXXIV.

Sic tandem oculis nostris subjiciuntur **PLANTÆ TRICAPSULARES** alius generis, & à reliquis, de quibus antea diximus, longè diversæ. Hæ enim **FLORE** gaudent vel **HEXAPETALO**, *radice aut bulbosa*, ut Lilium album, Lilium Corona Imperialis, Lilium Persicum, Lilium Martagon, Fritillaria, Tulipa, Hyacinthus, Ornithogalum, Scylla. Aut *radice fusiformi*; Asphodelus, Lili-Asphodelus, Dens Canis: aut *radice fibrosa* Phalangium. Vel **FLORE EX THECA UNIVALVI**, *radice aut bulbosa*, ut Leucojum bulbosum, Narcissus, Lilium Narcissinis foliis, Hæmanthus Africanus, Colchicum, Colchico-Narcissus, Crocus, Cepa, Porrum, Allium, Moly. Aut *radice tuberosa*. Canna Indica, Zedoaria, Zingiber, Curcuma, Gladiolus, Sisynrichium ramosum Æthiop. fol. plic. Gladiolus Æthiopic. flore miniato. Quin & ordinem hanc servant **PLANTÆ TRICAPSULARES RADICE TUBEROSA**, *flore enneapetalo*, Sisynrichium majus & minus, Iris Agria, Iris tuberosa. *Flore hexapetalo*, Aloë, Yucca. **RADICE FIBROSA**, *flore bipetalo*. Ephemerum Virginianum. **RADICE ORBICULATA**, *flore pentapetalo*, Cyclamen. **FLORE MONOPETALO, RICTU ET LABIO VARIO**, *radice resticulata*, Orchis. *Radice Palmata*, Orchis Palmata, *Radice fibrosa*, Helleborine, Calceolus Maris; *Radice Squamata*, Orobanche,



banche. FLORE HEXAPETALO, radice fibrosa, Ophris. §. XXXV.

Quæ restant hujus summi generis plantæ exponendæ *Baccifera* sunt, atque *Pomifera* à fructu sic nominatæ, ita ut *Baccifera* nobis cum Clariss. Rayo sint, quæ fructum habent minorem mollem, in quo semina membranâ tenui tectum. Ut Rubus, Smilax, Bryonia, Christophoriana, Laurus Alexandrina, Ruscus, Polygonatum, Liliium Convalium, Asparagus, Solanum, Basella Malabarorum, Moschatellina, Capsicum, Arum. *Pomifera* autem, quæ sub cortice crassiori, fructum pulpa molli, humidâ, semina ambiente, donatum sovent. Cujus generis habentur Cucurbita, Pepo, Colocynthis, Anguria, Melo, Cucumis, Flos passionis, Ficus Indica, Cereus, Ficoides, Ananas.

§. XXXVI.

Plantis ad bina ista summa genera propriè spectantibus, breviter jam expositis, ad aliud plantarum genus, quasi peculiare, & à prioribus istis binis quodammodo diversum descendimus: Ad *Plantas* nimirum *Apetalas*, *Stamineas* & *Muscosas*. Dixi peculiare genus & diversum, non quod hoc cum ceteris nihil conveniat, vel ipsis nequaquam adaptari queat; sed quod hujus generis plantæ aliquid singulare possideant, fructus & flores, peculiari modo dispositos atque configuratos habentes. Quare etiam Clariss. Hermanno, (cujus ductum nos sequimur.) has seorsim ponere, & ad proprium quasi genus referre placuit. Notetur enim, harum notas genericas, non tam ex seminibus, seu eorum capsulis, quam ex floribus horumque dispositione, figura atque conformatione desumitam sine dubio ob causam, quod hæ plantæ, non ut aliæ multæ, flores suos interdum variant, sed semper & constanti naturæ ordine sibi similes producant. Sunt autem sequentes: Blitum, Attriplex, Polygonum, Lappathum, Acetosa, Bistorta, Perficaria, Kali, Cannabis, Urtica, Mercurialis, Ambrosia, Pimpinella Sanguisorba ejusque species, Plantago, Psyllium, Xantium, Beta, Parietaria, Amaranthus, Alchimilla.

§. XXXVII.

Reliquæ hoc ordine recensentur. 1. PLANTÆ CULMIFERÆ floribus muscosis, Acorus, Ophioglossum, Equisetum. 2. Plantæ floribus muscosis in clavam compactis, & in lanuginem vel pappam abeuntibus, Typha. 3. Plantæ floribus aspergillum imitantibus & in echinatam pillulam congestis, Sparganium. 4. PLANTÆ EPIPHYLLOSPERMÆ seu *dorsifera* dictæ, Phyllitis, Hamionitis, Polypodium, Lonchitis, Asplenium, Trichomanes,



manes, Adiantum, Filix. 5. PLANTÆ CULMIFERÆ *graminifolia*, *granis majoribus*, *floribus Stamineis*, Frumentum Indicum, Triticum, Secale, Spalta, Hordeum, Oryza, Panicum, Phalaris, Milium, Lachryma Jobi, Avena, Festuca. 6. *Graminifolia granis minoribus*, Graminum innumera genera. 7. PLANTÆ NON CULMIFERÆ *floribus staminosis*, Cyperus, Gramen Cyperoides, Juncus, Gramen Junceum, gramen nemorosum caliculis paleaceis &c.

## §. XXXVIII.

Ordo jam ipsas *Arbores* tangit, & *frutices* seu arbores minores, quæ item pro diversitate fructuum & florum diversa genera, sequenti ordine recensenda constituunt. *Arbores* scilicet *Caudice simplici non ramoso, gemma simul & semel unica* Palmæ dicuntur, ut Palma. *Arbores Caudice ramoso Coniferae & resiniferae*, sunt Abies, Pinus, Cedrus, Larix, Cupressus, Thuya Theophrasti. *JULIFERÆ conifera non resinifera*, Alnus, Betula: *Nuciferae*, Nuxjuglans, Corylus, Fagus, Castanea. *Glandiferae* Quercus, Ilex, suber. *Bacciferae*. Juniperus, Sabina. *Lanigerae*, Populus, Salix. *Vasculis foliaceis*, Ulmus. *Baccis è multis acinis coagmentatis*, Morus.

## §. XXXIX.

*Arbores POMIFERÆ floribus infra fructus occultatis*. Ficus. *FRUCTUBUS IN SUMMO UMBILICATIS, seu floribus fructui insidentibus*, *polypyrena*. Malus, Pyrus, Gvajaca, Malus Cotonea, Malus punica, Mespilus, Oxyacantha Dioscoridis. *Baccifera polypyrena*, Rosa, vitis Idæa, Myrtus, Hedera arborea, Periclymenum perfoliatum & non perfoliatum. *Dypyrena*, periclymenum rectum. *Monopyrena*, Lotus arbor, Grossularia. *Arbores FRUCTUBUS IN SUMMO NON UMBILICATIS, & floribus imo fructui insidentibus*, *Pomifera polypyrena*, Malus Citria, Malus Limonia, Malus Aurantia. *Prunifera Monopyrena*, Malus Armenia, Malus Persica, Amygdalus Sativa, Prunus, Cornus, Cerasus, Olea Sativa, Azederach, Cerasus racemosa fructu non edu'i, Cerasus folio Laurino. *Baccifera monopyrena Caliculatae*, Lotus Africanus latifol. *Baccifera monopyrena non caliculata sed nuda*, Olea Sylvestris, Therebinthus, Lentiscus, Phillyrea, Sambucus, Laureola, Viburnum, Rhus, Cornus foemina, Rhamnus spinis oblongis flore candido salic. fol. *Baccifera dypyrena*, Jasminum, Ligustrum, Alnus nigra baccifera, Berberis. *Baccifera tripyrena*, Alaternus, Lycium. *Baccifera tetrapyrena*, Vitis vinifera, Evonymus vulgaris, Agrifolium. *Baccifera polypyrena*,



*pyrena*, *Rhamnus catharticus*, *Rhamnus baccifera* fructu ex multis acinis composito. *Arbutus folio serrato*.

## §. XL.

Arbores FRUCTU PER NATURAM sicco *monococco*, *Pistacia*, *Styrax*, cujus fructus, (licet rarius, nucleos geminos vel trigeminos includit,) *Tilia*, *Agnus castus*, *Rhus myrtifolia* *Monspeliaca*, *Hedera quinquefolia* *Canad.* *Corn.* *Hedera trifolia* *Canad.* *Cornut.* *Laurus.* *Fructu tricapsulari*, *Paliurus Lobelii*, *Chamelæa*, *Buxus.* *Fructu polyspermo* *Spiræa* *Theophr.* *Rhus Myrtifolia* *Belgica*, *Erica.* *Fructu membranaceo folliculato*, *Staphylodendron.* *Fructu membranaceo alato depresso.* *Acer*, *Fraxinus*, *Platanus* *Seminibus lanuginosis* *Tamarix.* *Arbores filiquose*, *Arbor Judæ*, *Laburnum*, *Ceratonia*, *Coral arbor*, *Tamarindus*, *Acacia*, *Syringa*.

## §. XLI.

Sic brevissimè exposuimus methodum, quam unusquisque Botanophilus bene observare debet. Plura hæc in re qui desiderat, adeat libellum *Clariss. Hermannii Flora Lugduno-Batavæ flores dictum.* In quo emendando & notis adhuc specialioribus augendo, quotidie desudat Author. Opus enim immensi laboris, multæ experientiæ & magnæ discretionis est: quæ si in ullo, sanè in hoc reperiuntur; adeoque quod non hic ipse, alius nemo facilè præstabit.

## §. XLII.

Sed ad alia, ad fundamentalem plantarum notitiam facilè acquirendam, necessaria ut pergamus, ipsa necessitas monet. Scire itaque convenit, Omnes plantas fructificatione convenientes ad unum genus commodè reduci, unoque nomine generico nominari debere, addito saltem specifico pro floribus, foliorum, caulium, radicum, vel denique colorum, odorum, saporum aliorumve accidentium, specifica variatione. Quocirca tamen optimè notandum, quod *Clarissim. Ammannus Professor Publicus Lipsiensis* in *Charactere plantarum naturali* p. 27. innuit. Nimirum quod omnis denominationis herbarum, undecunque etiam sit desumpta, nisi exprimat simul notam Characteristicam à Botanice non est attendenda. Nam vel prolixitatem parit non necessariam, vel dubia non satis extricabilia relinquit.

## §. XLIII.

Præprimis præterea cavere debemus ne iis plantis, quæ cum aliis ejusdem nominis, fructificatione quodammodo non conveniunt, nomen *Pseudo* vel *Sparium* addamus, prout placere nonnullis audimus. Quique, e.g. pro *Marsy-*  
Sy-



Syriaco potius Pseudo-Marum, pro Marrubio palustri, Pseudo-Marrubium &c. dicere amant. Quamquam enim facile concedam, Marum hocce Syriacum atque Marrubium palustre, veri & genuini Mari & Marrubii species non esse, neque jure ad has referri posse; nihilominus non video, qua ratione Pseudo-Marum vel Pseudo-Marrubium mereantur appellari, cum fructificatio harum, cum veri atque genuini Mari & Marrubii notis genericis, nihil commune habeat. Quare etiam ad evitandam omnem confusionem, præstaret, ut mihi saltem videtur, Mari hujus & Marrubii nomen in totum abolere, aliudque his plantis magis conveniens & aptum substituere: cum quod spurium erit, licet non omnibus, (tum enim idem esset) plerisque tamen & præcipuis notis characteristicis, vel accidentibus ad minimum, cum vero & genuino convenire debeat.

## §. XLIV.

Tyrones quoque dum Marum e. g. addito licet nomine Spurii, nominari audiunt, statim in memoriam sibi revocant verum Marum, adeoque talem mox sibi formant conceptum, quasi Marum spurium, etiam veri aliqua species esset, vel ad minimum similitudinem vel cognationem cum eo haberet. Quo tandem accidit, quod dum nomine spurii vel falsi, veram plantam à falsa nos satis distinguere putamus, falso distinguamus, eosque sic re ipsa frustramur, quos vel verbulo frustrari nobis religio esset. Melius itaque nobis illi audiunt, qui mutato tali nomine incongruo, aliud genericum magis ipsis adæquatum excogitant, sumto specifico ex aliis, cum quibus vel floribus, vel foliis aliisve accidentibus videntur convenire. Sic e. g. Salvia Sylvestris Verbasci latis foliis Moriz. Hort. Blef. p. 388. longe melius dicitur Verbasci foliis, quam Salvia spuria, vel Pseudo-Salvia &c.

## §. XLV.

Cum autem ad bene & fundamentaliter nosce plantas, earum etiam principia activa, & hinc deinde virtutes medicas quasi ex priori quodammodo scire pertineat, modum eas explorandi breviter potius nominare, quam sufficienter hic describere malimus: integros enim libellos, non aliquot pagellas hæc materia desiderat. Interim canonem ut plurimum verum esse cum Clariss. Hermanno existimamus: (contradicente licet Ammanno in charact. plant. nat. p. 25. exemplo. Napelli & Anthoræ;) quod plantæ eandem fructificationem habentes, easdem quoque virtutes, quoad magis vel minus saltem differentes possideant. Nihil namque impedit, quo minus Napellus & Anthora, quas Cl. Ammannus sibi invicem opponit, iisdem principiis



piis activis, & per consequens iisdem quoque virtutibus gaudeant, licet prior fortior longè, sua salia seu principia activa magis concentrata habens, sub minori quasi mole majorem vim exercent: Hæc vero debilior, sua vel laxius conjuncta, vel aquositate magis diluta, vel particulis pluribus terrestribus implicita tenens, minus vehementer in corpus nostrum agat, adeoque minus noxia habeatur, & minus venenata. Etenim & Napellum ipsum tam venenosis non gaudere characteribus, ac à veteribus depingitur, ipsa experientia dissuadet, & Muscovitæ suo fati nos docent exemplo, dum ipsos Napelli flores inter delicias & embammata amicis apportant.

## §. XLVI.

Qualia vero principia activa plantis insint, partim odore partim etiam sapore exploramus: unde hos quoque sensus præter visum acutum, Botanicis præcipuè necessarios arbitramur. Odore scilicet dijudicare possumus, quo sale hæc vel illa planta maximè abundat. Prout nimirum effluvia ejus ad narium sinus penetrantia, nervorum extremitates ibidem latentes, vel fortius vel debilius vellicant, de sale ejus volatiliori aut fixiori etiam judicium ferre sustinemus, iisdem sensibus discernentes, an oleosum sive aromaticum, an fatuum, an virosum, an narcoticum sit. Sapore item an acre, an dulce, an salinum, acidum, acerbum, aromaticum, nitrosum, austerrum, purgativum, vel etiam insipidum. Unde varia deinde ac diversa phænomena concludere, prudentis est.

## §. XLVII.

Quomodo autem, & qua ratione hæc principia activa in sensus nostros agant, Abercrombius in nova Medicinæ Clave fati videtur exponere. Hic interim meminisse sufficit atque probare, quod plantæ fructificatione convenientes principiis etiam activis & virtutibus convenient. Sic plantæ Angiopolypermæ seu seminibus nudis, dum linguæ judicio subjiciuntur, acridinem suam magis minusve manifestam produunt. Jam autem quia ex posteriori scimus acridia omnia urinam movere, has quoque non sine ratione diureticas credamus. Pariter etiam singularem acridinem, sed aromaticam magis, eamque magis vel minus volatilem, in plantis plerisque filiculosis bicapsularibus percipimus, unde scorbuticis aliisque morbis chronicis has quam maximè proficuas ratiocinamur. Ex sapore item & odore virtutes Verticillatarum desumere, non ita difficile censemus, cum pleræque amaritiam satis insignem, odori magis vel minus fragranti vel etiam gravi immistam, præbeant. Hinc graviter olentes uteri, suaviter spirantes capitis affectionibus, utrasque verò stomacho conferre, ratio una cum

expe-



experientia dicitur. Simili fere modo plantas etiam catharticas dignoscere possumus: Hæ enim gustatæ atque masticatæ nauseam quasi inducunt, faucesque leviter inflammando, œsophagum & stomachum per consensum in leves quasi convulsiones rapiunt, & vel vomitum, vel sedes promouent: Quæ etiam de ceteris dicta velimus.

## §. XLVIII.

Præter hos autem usus, quos nobis in plantarum virtutibus eruendis, odor & sapor præstant, ad memoriæ etiam eas mandandas, non parùm iuvat earum delibatio & odoratus. Eo enim ipso quod variarum plantarum saporos atque odores, ritè discernere studemus, illarum quoque nomina & ideas tanto firmiter nobis imprimimus, quanto fortiores, graviores vel fragantiores in iis odores saporosve perferentiscimus. Certus enim sum, quod qui Aronis, Aristolochiæ, Colocassia, Gentianæ veræ &c. radices vel semel gustarit, earum in posterum non facilè obliviscetur. Sic etiam qui Fraxinellam, Hypericum hircinum, Chamæpityn, Marum Syriacum, Mentham, pulegium, &c. naribus admoverit, eas semper postea, si non ad faciem, odore saltem dignoscet.

## §. XLIX.

Interim tamen nemini Author sim, ut omnes plantas atque singulas gustare sine discretionem tentet. Tantam enim venenositatem nonnullis plantis inesse Authores passim testantur, & experientia quotidiana evincit, ut etiam largius delibatæ, homines non tantùm in horribiles convulsiones coniecerint, sed tam diu quoque eos vexarint, donec vitam cum morte mutare coacti fuerint: ut de esu fungorum, & radicis Oenanthes *cicuta facie succo viroso*, luculentissimè testatur Stalpart van der Wiel, Centur. I. observat. rar. XL. & XLIII. In plantis itaque, antea non descriptis vel minus notis, gustandis, cauti & circumspecti esse debemus, ne harum naturam indagando, propriam destruiamus.

## §. L.

Superfunt & aliæ adhuc viæ, ad veram & fundamentalem plantarum notitiam tendentes, hic breviter quidem exponendæ, sed ab iis diligenter observandæ, qui hujus perfectionis culmen ascendere satagunt: ut primo, feminum cum suis conceptaculis *justa collectio*, & *commoda reservatio*: In ampullis scilicet vitreis benè oclufis, quas huic usui aptissimas ideo iudicamus, quod hæc, aëris externi injurias semina corrumpentes, excludant, & contenta, etiam non detecta, dent conspicienda. Quibus quoque *frequens & accurata horum inspectio* accedit, tam hyemali quam æstivo tempore



instituentia: tanta enim seminum, eorumque conceptaculorum deprehenditur diversitas, ut nisi diligentius hæc examinentur, cuncta ritè discernere, suisque generibus applicare vix possibile erit. Tali vero examine sæpius repetito, tantum in re herbaria brevi proficiemus, ut visis saltem seminibus, plantas statim noscamus: quæ sanè notitia si alia aliqua, vere fundamentalis dici meretur.

## §. LI.

Deinde etiam *Radicum effossionem atque examinationem*, in multis plantis tam necessariam putamus, ut sine notis ex his, petitis differentias essentielles, nonnullas inter plantas, alias vix evidentes, inveniamus, ut eg. inter Allium, Porrum, Cepam &c. Scire præterea valdè confert, quænam plantæ perennes sint seu quæ semper durent, vel de radicibus suis quotannis de novo progerminent &c. quæque annuæ sint ac quotannis feri ament. De biennibus enim & triennibus minus solliciti sumus, cum origine tales rarius dentur: Quin omnes potius, quæ nobis biennes audiunt, in aliis locis, naturalibus nempe ceu magis calidis annua sunt: durant enim hæc usque dum semen produxerint, quo ad maturitatem perducto, marcescunt atque pereunt.

## §. LII.

Tandem neque sicco pede transire licet plantarum artificiosam *exsiccationem* seu *herbarios vivos*; Qui studio & dexteritate compositi, sæpiusque evoluti memoriam mirum in modum juvant. Neminem enim mortalium, credo, tantum suæ memoriæ & imaginationi fidere audent, ut plantarum, non nisi semel vel bis in vita visarum ideas, tam fixas & immutabiles retinere prætentat, ut si easdem adhuc videre non contingeret, quales sint, certò determinare audeat, nisi earum exemplaria exsiccata habeat, sic quæ illa interdum inspiciendo, ne memoria excidant, impediatur: valde enim labilis est, adeoque variis subsidiis adjuvanda, firmanda.

## §. LIII.

Observandum autem, ut ad hortos, sic etiam ad herbarios augendos exornandosque, *literarum commercia* quam maxime esse necessaria: & sine his vel nihil, vel parum in Botanicis efficiemus: Non enim omnis fert omnia tellus. Institui verò hæc debent cum viris curiosis & hujus rei amatoribus, variis in terris viventibus: & quidem vario modo, quo scilicet optimè possunt atque inter se conveniunt, cum alii aliarum plantarum commutationem, alii pecuniam paratam pro suis plantis desiderant. Ex plantis verò, quæ seminibus feliciter propagantur, semina potius mutantur quam radices: cum hæc & minori pretio, & cura, longinquè transferri queant



queant. Horum verò optima sunt, quæ ex plantis in locis natalibus remanentibus, & in hortos non translatis, colliguntur. In his enim faciem suam non raro mutant: Quod in lanigeris & incanis satis evidenter patet. Hæ namque in hortis per annos aliquot cultæ, canitiem sæpè omnem & lanuginem deponunt, sicque nudæ deinde nudis omnium objiciuntur oculis.

§. LIV.

Semina verò dum non sufficiunt, (plantæ enim multæ, ut bulbosæ &c. Seminibus difficillimè multiplicantur,) radices vel plantas integras transferri curemus; quæ tamen non nisi aquis, vel maximis etiam impensis super terram, ad loca valde diffusa advehi possunt. Dum autem nequè semina, nequè radices vel plantas totas communicari raritas vetat, (Contingit namque non nisi unum vel alterum exemplar superesse, quodquè semina nulla vel non matura producit) tum sanè exsiccatio artificiosa juvat, qua mediante ramuli eorum, herbariis inserendi in gratiam curiosorum transmittuntur. Imo præter hunc, etiam alium usum nobis præstat plantarum exsiccatio: nimirum ut dum plantæ rariores in propriis quoquè hortis, numquam iterum visendæ, pereunt, in herbariis siccis multa per sæcula vivant.

§. LV.

Quantum denique *librorum Botanicorum lectio*, & *iconum plantarum* in his expressarum tam inter se nivicem, quam plantas vivas *collatio*, ad notitiam earum fundamentalem augendam & stabiliendam conferunt, nemo nisi expertus credet. Plures enim novi, qui icones saltem in libris diligentius inspicere & examinare assueti, multas etiam plantas in pratis vivas, numquam antea à se visas, nominare sciverunt.

§. LVI.

Variis sic mediis recensitis, quæ Botanophylos in veram & solidam plantarum cognitionem conducunt, unum adhuc addere non abs re fore opinamur: *Artem scilicet pictoriam*, quam licet omnibus, inprimis tamen Botanicis, ut rem maximè utilem & necessariam, commendatam haberi velimus: & quidem triplicem ob rationem; primò quia hanc nobilissimam artem callentes, ex consuetudine minima advertendi, quod hac in arte primariò requiritur, aliis, hac non imbutis, longè facilius plantas addiscere atque discernere sciunt. Deinde cum imaginationem valde exerceant hujus artis amatores, ideas quas semel receperunt, diutius retinent, eas magis magisque pictura augere & confirmare studendo. Ultimò denique dum plantas rariores vident, quarum exemplaria nec viva, nec sicca obtinere possunt, eas statim depingere, atque vivis suis coloribus tam naturaliter exprimere norunt, ut quæ nolint in hortis plantæ, in chartis florere cogantur.



# COROLLARIA ANATOMICO-MEDICA.

## I.

*A*rteriarum ac venarum motus peristalticus fictitius magis videtur quam verus atque demonstrativus, cum talis numquam in his deprehendatur. Neque necessarius est, cum hæc vasa quidquid agant, simplici compressione agere possint.

## II.

*A*queductum Fallopii cum auris cavitate externa, seu meatu auditorio communicare, anatomia auris accuratior nos edocuit. Membranam enim tympani auris ossiculis non undiquaque adherere, sed propè malleum perviam esse, non semel invenimus.

## III.

*Q*ui humori vitreo tunicam propriam, qua includatur assignant, omni experientia contradicunt, numquam enim talis invenitur. Sed totus potius humor gelatinosus & quasi ex meris tunicis conflatus deprehenditur.

## IV.

*P*ariter & illi errant, qui humorem aqueum, in oculi fundo, æquè ac parte ejus anteriori, sub cornea scilicet tunicà, deprehendi putant. Ligamentum enim ciliare tamquam paries intermedius, ejus, cum retina commercium interrumpit.

## V.

*F*etum in Utero materno lacte nutrirî, & quidem proprias mammas sugendo, non sine ratione suspicamur. Etenim 1. Caput semper ad mammas inclinatum tenet. 2. Hoc, proportionè ad reliqua membra habità, maximum est: ratio; ut mammas tantò melius attingere queat. 3. Edius in lucem fœtus, mammis statim matris seu nutricis inhiat, easque sugere noscit, signo satis evidenti, ipsum suctioni antea assuetum fuisse. 4. Lac semper ferè in mammis habet, quod ne noxam ipsi afferat, ab obstetricibus solet exprimi. 5. Infans recens natus lac sæpè purum, antequam aliquod lactis gustasset.



gustasset, evomit, quod nisi in utero assumisset, & quidem ex propriis mam-  
mis, nullus scio, unde & qua aliâ via in ejus Stomachum penetraret.

V I.

Liquorem Amnii tam laudabilem ac nutritium non esse, ut multi sibi imagi-  
nantur, satis probat ejus cum foetu accrementum. Quo namque grandior  
foetus evadit, eo copiosior hic liquor generatur; plus enim tum excrementi at-  
que sudoris foetus ejicit, per os numquam iterum resorbendum. Simile quid  
in ovis etiam observamus, qua dum perfecta fere sunt, & cicatrix exterior  
indurescere incipit, albumen indies augetur, cum tamen ante hoc tempus  
nihil fere ejus infra testam observetur.

V I I.

Ad praxin feliciter faciendam, magis experientia quam rationi insistendum.

V I I I.

Spiritus vini nimius usus hydropem inferre: non ratione phlegmatis, ut opinio  
vulgaris est, quod in Stomacho relinquet; Sed ratione acidi occulti, &  
vis adstrictoria. Illo enim spiritus partim figit, partim fugat; hæc totius  
tubi intestinalis & Stomachi glandulas constringit, sicque lympham ibidem sta-  
gnare facit & accessere, unde denique alvus adstricta, pedes intumescentes, &  
totius corporis leucophlegmatia.

I X.

Hydropem inveteratum paracenthesis raro vel numquam sanabit, Purgantia  
interdum; Stomachica autem seu aromatica sapius.

X.

Agyria ægros ab experientissimis Medicis relictos sæpius curant: sed quare? Illi  
namque paucis atque probatis medicamentis contenti, curam per longum tempus  
iisdem continuant. Hi verò multa sciendo, indices formulas suas variant,  
quibus ægrum potius lassant, quam juvant.

F I N I S.



*Viro Clarissimo*

D. OLAVO RUDBECKIO

*Magni parentis haud degeneri filio, ami-  
co a teneris conjunctissimo fautorique  
honoratissimo,*



W hen for Mankind, Jove immortal,  
Drew from the chaos  
The trees, the flowers and herbs Withall,  
t' had been for no purpos;  
If our great Adam by his shill,  
Had not bestowed a name  
To each of them, and by Gods will  
Declared to us the same.  
What should serve us to know their name  
Without Knowing their vertu?  
But learned *Rudbeck*, to his fame,  
Hath now crowned that issue.  
And now of honour, for its lot,  
Utrecht prepareth a crown  
Of Laurel, Mirthle and what not  
To crown his famous renoun.

Lugd. Batav.  
die 5. Sept.  
M. DC. XC.

*Summos in arte Medica honores cum  
omnigenae felicitatis voto calidissi-  
mo gratulatur in Angliam brevi  
abiturus.*

J. O. S.